

tantuloque discrimine sententiarum ab eadem servatus, multis ab civibus pro ejus dignitate ac nomine ad oppidi portam, qua venerat, flumenque perductus descendit, ad urbemque rediit.

Patres eo consilio depulsi, ad aliam se cogitationem converterunt. nam quod erant eo in oppido cives duo centurionis reipublicæ fratres, quibus ambobus cum porta oppidi præfecto summa necessitudo intercedebat: petiit ab iis per occultos internuncios centurio, darent operam, ut ea porta legato reipublicæ aperiretur. Re complures dies agitata cum demum inter ipsos convenisset, Aloisius Molinus quinquevir Senatu regendo Patribus proposuit, *Tantas hostium injurias ulterius non esse perferendas: sperare se se atque confidere, si Patavium exercitus de improviso mittatur, civibus iis portam tradentibus, qui se reipublicæ obtulerunt, oppidum capi facile posse: neque enim satis esse communitum: itaque ad Grittum legatum scribi oportere, ut eam rem quam-primum suscipiat.* Ad ea Lauredanus Princeps, *Videri sibi periculosem, respondit, Aloisio rege Gallie reipublicæ nervis ac sanguini magnopere imminentem, Julio Pontifice Maximo ad civitatis perniciem atque interitum omnia moliente, Maximiliano mediis in imperii finibus visceribusque grassante, Ferdinando Hispaniae rege, quasi quarto scriptis tabulis hærede, in possessiones reipublicæ se inferente, Patavium velle recipere: quam quidem paulo ante urbem una cum aliis plerisque oppidis & municipiis, ut bujus belli tempestatem a suo capite averteret, Senatus Maximiliano, tanquam de manu, tradidit: valde enim se timere, id si fit, ne hostes reipublicæ qui ea Senatus liberalitate victi nihil ultra prope cogitant, magnam redintegrandi belli causam se habere statuentes, iterum in rempublicam universi convertantur, neque Patavium modo brevi recipient, sed reliquam imperii partem, quæ in continente est, etiam suam faciant: nam vires ad eos repellendos reipublicæ suppeditaturas, neminem tam stultum esse, qui sperare audeat: neque esse credendum, qui pares illis integri non fuerint, fractos ac debilitatos superiores fore: civium privatim jacturam, qui fructus suorum prædiorum*